



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ
collectus: & usui accommodatus

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066332

Pars XV. De Contritione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45396

EXERCITIORUM

PARS XV.

De Contritione,

EXERCITIUM I.

*De Substantia Contritionis, & Motivis
ad eam.*

I. **S**Tatue te ô homo coram Deo : Te inquam talem ; qualis in veritate es : coramque Deo qualis in veritate est : & postquam Te, Deumque circumspexeris, profiteri cum Beato Job. Verè scio quòd ita fit : & quod non justificabitur homo compositus Deo.

2. Compositio enim hominis cum Deo, atque prout se in seuterque habent, ad invicem comparatio, ad multas quidem salutiferas cognitiones & operationes homini prodest : sed nominatim ad Contritionem Cordis veram, & ad genuinum pro suis peccatis Dolorem conducit, proficitque : imò necessaria omnino est quam maximè.

3. Nam cum substantia Contritionis, Dolorisque perfecti in hoc posita sit, ut ab omni (mortali præcipuè) peccato, sive (quod idem est) ab omni eo ; quod Sanctissimæ Dei Voluntati quoquo modo contrarium est, aversus, convertaris ad Deum, & ad omnem ejus Voluntatem
sub-

subordineris: ita amanter, & ita in Amore Dei firmiter, constanterque, ut te, tuamque Voluntatem quasi inconvertibilem reddas, ad volendum deinceps unquam peccare. Quod quia haecenus non fecisti; ideo ejus te stultitiae, ac malitiae pænitebit: utpote qui per hoc Divinae Sanctitati, Dignitati, Bonitati, Charitati Voluntatique, ac legi repugnaveris, repugnando injuriam, & despectum, injustissimamque violationem feceris: Licet tu ipse esses & vilissimus in oculis Dei, & omni jure subjectionis obligatissimus Deo: plus quam cogitare tu possis, aut creatura possit: Deus autem fuerit & sit infinities infinitè, omni perfectione plenissimus: ideoque & omni Amore, honore, subjectione ad se tuâ dignissimus: proptereaque jam ex nunc à te his omnibus ex toto corde tuo cumulatifsimè repletus, atque contentatus.

4. Ex colatione abjectionis & nequitiae tuae, cum Dignitate, Amabilitate, perfectioneque Divinâ, consurgere debet in Animâ peccatrice, pudor, & timor, qualis est sponsae nequam, & adulterae, ab optimo sponso in adulterio deprehensae: & postea veneratio, amor, & aestimatio, & fides, ad tam bonum, dignum, amabilem, misericordemque Sponsum Deum, à se quidem tam indigne, & injuriosè tractatum: ipsum vero erga sponsam tam benignum, patientem, mansuetum, beneficum: atque ex his tandem pœnitudo, & dolor consurgat amarus & amorosus, & cordialis, visceralisque: eò quòd tam vilis homo, tam bonum Deum: (tam graviter, frequenter, malitiosè &c.) læseris, contempserisque: exurgat præterea execratio tuae malitiae, & auda-

DRUR
ICKI
: 4300
II
V

audaciæ, & superbiæ, quâ sis ausus tanta committere, tu ipsâ vilitate vilior, in Deum dignitate substantiali dignissimum. Confurgat etiam cupiditas, & optatio ardens, ne unquam quidquam tale abs te perpetratum esset, quale perpetratum abs te hæcenus in talem Deum.

5. Quia vero, quod factum est infectum fieri nequit, confurgat in corde tuo, detestativum & vehemens desiderium propositumque, ut quod adeo indigne, & injuriosè factum est, retractetur sincere, & plenè: compensetur quàm adæquatissimè juri, & honori Divino: per studia, actusque contrarios Amoris, Honoris, subjectionis, justitiæ, devotionis, cæterosque hujusmodi.

6. Confurgat denique voluntas, & studium constans & resolutum, absolutumque, in æternum tam non redeundi ad eadem indigna, aut ad alia quælibet; quàm occasiones omnes ipsas devitandi, seu repellendi, quàm etiam ab omni cum peccato, vel tentatione, titillationeque peccati colludendi: sed potius ab eâ abhorrendi, atque resiliendi; in omni verò occasione & commoditate, Dignitatem, ac Bonitatem Divinam exaltandi, amandi, gloriam promovendi, honorem, legemque tuendi, & servandi, etiam si quæcunque humana mala, damna, ærumnæ, periculaque, etiam mors ipsa propter Deum essent incurrenda & perferenda.

7. Et hæc est vera, & plena Contritio. Quæ est unicum efficax, at præsens (quantum ex parte nostrâ cum Dei gratiâ fieri pro peccatorum expiatione, abolitioneque potest. nam Sacramenta, Sacrificia, Christi merita, & Gratia Divina

ex

ex parte Dei se habent) medium, remediumque ad remissionem peccatorum nostrorum. Cujus si vel minimus habeatur ab homine gradus, sufficiens est, cum Dei gratiâ & Christi meritis, intrâ instans unicum delere, & abolere peccata omnia ex Animâ peccatrice: perinde atque Charitatis perfectæ Actus, id ipsum in Animâ præstare solet.

8. Ex jam dictis patet, duo esse intima motiva ad Contritionem veram & perfectam. Primò quidem summam bonitatem, Dignitatemque Dei, quæ debuerat à nobis semper ante hac, & debet deinceps, summè, superque omnia creata, æstimari, amari, honorari, cum omni ad ejus natum subjectione. Secundò verè, indignitas, & malitia, nostra infinita, & infinitè à Deo remota: quæ tamen, talis licet, ausa sit contra Deum, summum Bonum, & summum Dignum: sese erigere, eumque contemptim, ac injuriosè tractare.

9. Ex horum duorum motivorum collatione, & in corde Animæ veluti conflictu, elucescit hinc malitia, enormitas, indignitasq; peccatoris, & ejus peccati: inde autem exoritur mox Dolor amans, & amor dolens, cordis viscera exedens, & quasi in pulverem conterens: eò quod Deus tam summè Bonus, summèque Dignus, & summè amabilis & pretiosus, ac beneficus, à tam vilissimâ vilitate Creaturæ suæ, adeo indignè, adeo malitiosè, injuriosèque habitus, & tractatus, hoc est, contemptus, conculcatusque sit.

10. Maximè, quando ad alias immensas infinitæ Dei bonitatis, ac beneficentiæ in Hominem indignissimum, inutilissimum, ingratiissimumque pro-

DRUR
ICKI
: 4300
II
V

profusiones, accessit, & superexcessit Beneficium Incarnationis unigeniti Dei, ejusmodi Vita, ejusmodi Passio, ejusmodi Mors: propter salutem, redemptionem, sanctificationem, glorificationem hominis suscepta. Iste enim Bonitatis Divinae versùs Hominem excessus, vel leviter animadversus, immensum in Corde peccatoris, excitare Dolorem de peccatis, & simul amorem Divinae Bonitatis, potentissimus est.

Propterea istorum duorum Motivorum, Humanae scilicet Vilitatis ac malitiae, Divinae autem Dignitatis & beneficentiae collatio, amplius facienda erit etiam in sequentibus Exercitiis, ut certior, & copiosior, efficaciorque fructus contritionis de peccatis colligatur.

P R A X I S,

**Et simul series, apparatusque
Actuum Contritionis.**

DEUS, Domine DEUS, Dignissime DEUS, amabilissime, beneficentissime: ipsaque essentialis Bonitas, & Amor, & Sanctitas, & Sapientia, & Omnipotentia, & plenitudo perfectionis Deus. Jesus meus, Judex meus, Pater meus, DEUS meus, & odiens, & vindicans, & condonans peccata, sanantique contritiones nostras.

2. Reminiscor, recognosco, & confiteor coram Te, omnes, & singulas iniquitates meas: quibus me quam displicui tibi: & Voluntati, Sanctitati, Dignitati, Bonitati, Charitati tuae.

3. Displicent mihi, Domine: displicent, & superque displicent, singula, & omnia peccata mea: quia ex se mala, & perversa: quia tibi displicita,

à te prohibita, quia irâ & vindictâ tuâ dignâ: quia
suprema Tuæ Majestati, amabilissimæ Bonitati, ho-
norandissimæ Sapientiæ, Potentiæ, Justitiæ, ac Vo-
luntati injuriosa: quia innumera.

4. O utinam! utinam ea nunquam, nunquam,
nunquam commissem! Non Corde, non ore, non
opere, non omissione, non ullâ prorsus iniquitatis
ratione!

5. Totis viribus cordis, & mentis, & Animæ,
& universæ substantiæ meæ, totius quoque Universi:
nec non omnibus atomis ejus, etiam universalisatis,
ac mihi adunitis: doleo, doleo, superdoleo, de omni-
bus, & singulis peccatis meis.

6. Odio perfecto, quo DEUS illa odit, odi &
ego: odisseque volo, & constituo in æternum.

7. Abominor, detestor, execror illa ex animo.

8. Erubesco, & confundor de illis: & coram
quidem omni Creaturâ: sed maximè coram offenso
à me, te tam Bono DEO: tam Digno DEO: tam
Amabili DEO.

9. Tædet me illorum: & heu quando eliberabor
ab eis!

10. Fastidio, & nauseo illa, tanquam canem mor-
tuum, & putidum.

11. Horreo illa, & contremisco totus ad memo-
riam illorum.

12. Ejuro, & abjuro illa: & recedo ab eis in
æternum.

13. Omnem meum, & affectum, & propensio-
nem, & inclinationem, qualiscunque Voluntatis, &
assuetudinis meæ, ita ab eis avertor, & avello, ut
cupiam, statuamque, & quâ possum faciam; quasi
impossibile mihi esse reverti, sive etiam inclinari, ad
illa, & ad quevis alia.

V. P. Druzb. Op. V.

Hh

14. De-

Druzb.
icki
4300
II
V

14. Desidero illa, & emendare, & emundare, & jam nunc emundo, in Balneo sanguinis, & Meritorum Christi.

15. Cupio, propono, & decerno firmiter, expiare illa quàm plenissimè, quoad culpam, & quoad penam omnem, & specialiter quoad spiritualem, & damnum.

16. Propono, & statuo illa Sacramentaliter confiteri.

17. Propono etiam, & statuo constanter, plenam eorum fugam, vigilantemque devitationem.

18. Denique spero, & peto omnium, atque singulorum, plenam, perfectamque, à te misericordissimo, atque indulgentissimo DEO meo condonationem.

19. Propter Bonitatem tuam, propter JESU Christi Domini mei Mortem, propter Pretiosissimam DEI Matris, omniumque Electorum tuorum intercessionem ac merita.

20. Ad purum, summum, plenam Divini Cordis tui gustum. Amen.

EXERCITIUM II.

De Contritione, ex Dei & Hominis Peccanti collatione.

1. **S**Tatue te Homo, qualis in veritate es, coram Deo qualis ille in veritate est: vilitatem omnium vilitatum vilitatem, coram DEO omnium Bonitatum essentialiter plenissimam Bonitatem: & postquam te in tuis, Deum in fuis circumspexeris dotibus: profitens dic: *Verè factum quòd ita sit: & quod non justificabitur homo comparatus tibi positus DEO.*

Job. 9. 2.

2. Cognosce itaque te, & statue coram Deo te talem, qualis es tibi ex te ipso! seclusis, & semper

ris à te his omnibus quæ sunt ex DEO, & ex dono Bonitatis ejus in te. Atque sic, dispice tuam Essentiam, existentiam, sufficientiam, opulentiam, potentiam, decorem, dignitatem, opera, merita: utique invenies omnium horum in te, ex te, nihil esse: sed horum loco, in te nonens, nihilque purissimum, & abyssale, & informe: invenies te, ex te nihil esse, non esse, non existere: ad nihil rei, aut boni sufficere, nihil posse, nihil mereri: invenies esse te meram omnis boni carentiam, incapacitatemque: omnis autem miseræ, malitiæ, egestatis, turpitudinis, insufficientiæ, indignitatis, vanitatis, contemptibilitatisque facem, sentinam cloacam, sedimentum, abyssum. Ecce tu talis ex te es, ô Homo: & quidquid aliud immiserabilius, & execrabilius cogitare potes.

3. Cogita quoque Deum, & vide qualis est ille ex seipso. Et ecce invenies illum tibi extreme dissimilem, ac summe oppositum: invenies illum esse Summam, & omnem, & essentialem, essentiam, existentiam, perfectionem; perfectionis omnis, sibi soli cogitabilis, à nullâ creaturâ vestigabilis, plenitudinem abyssalem, ipsissimamque essentialem abyssum, & abyssalem Essentiam Bonitatis, Sapientiæ, Omnipotentia, Dignitatis, Veritatis, Vitæ, Opulentia, Sanctitatis, Rectitudinis, Pulchritudinis, Beneficentiæ, Charitatis, Beatitudinis. Invenies illum, fontem infinitum Justitiæ & æquitatis, Misericordiæ & pietatis, Gloriæ & Majestatis, Regem regum, Dominum Dominantium, omnium authorem, omnium possessorem, absolutum principem & monarcham, & hæc omnia ex ipso se, immense,

Hh 2

infini-

DRUR
ICKI
ASCI
II
V

infinite, incomprehensè, immutabiliter, abæternè, & æternè.

4. Duabus hisce cogitationibus, de Te, & de Deo, adijunge tertiam, quâ recorderis, te talem, in Deum talem, peccasse: hoc est, injuriosa quæque, contemptifica, hostilia, impia, rebellia, perpetraste, voluntarie, scienter, deliberate, maligne, crebrò.

5. Ac demum dijudica: an duo illa, tu scilicet qui es, cum Deo item qui est is qui est, debuerint inter se, sic confligere, sic concurrere, sic sese gerere: ut tu quidem, res omnino nihil, nullius meriti, valoris atque frugis: in Deum adeo per omnia immensæ supra te dignitatis, sic impingeres, sic ejus dignitatem deprimeres, sic voluntatem contemneres, sic jus omne Sanctitatis, Bonitatis Excellentiæ perfringeres? Non fuerit Deus iste, tuus Amator, Author, Conferuator, Benefactor, Dominus, Rex: non fueris tu Creatura, servus, mancipium omni jure illius, fueris tantum hoc quod es, nihil, & nihil: Deus autem Deus: nonne omni amore, pretio, honore, cultu, reverentiâ, obsequio, quàm dignissimè constantissimèque coli & tractari abs te dignissimus erat?

6. Quod quia non tantum à te factum non est, sed etiam per omnes malitiæ gradus contrarium injuriosissimè perpetratum est; cogita, & judica, & decerne ipse tu: quâ mensurâ te timeret, erubescere, dolere, lugere, detestari temetipsum oporteat: ad quam satisfactionis & justitiæ, & vindictæ de ipso te sumendæ, Deoque læso exhibendæ, te conari oporteat? quod si ad æqualem mensuram assurgere non potes, nam re-

vera ne ad minimam portionem potes: saltem conare ad id quod potes: & geme, quòd amplius, & ad æquum, justumque non potes, & demum ad miserationem Dei, ad JESU Christi sanguinis, & mortis (in Sacramentis) merita & gratiam, supplex, & fidens recurre ut possis.

7. Rursum autem attende ad teipsum: quis, & qualis es tu, etiam cum his donis, quæ à Deo accepisti: atque, & sic te cum Deo confer. Confer essentiam tuam, entitatem, existentiamque tuam Essentiæ, Entitati, Existentiæ Dei: tuam personam Personæ DEI, tuam Animam Spiritui DEI: tuum intellectum intellectui Divino: tuam Voluntatem & libertatem cum Voluntate & libertate Dei: tuam Sapientiam, Potentiam, cum Sapientiâ & potentiâ Dei: tuam bonitatem, vitam, æternitatem, cum bonitate, vitâ, immortalitate, æternitateque Dei: tuam magnitudinem, cum immensitate Dei: tuam Perfectionem, Sanctitatem, Justitiam, Puritatem, cum Perfectione, Sanctitate, Justitiâ, Puritate Dei, &c. & cognosce quam hæc inter se distent: quam nulla finiti ad infinitum proportio & comparatio? Atque factâ hac collatione, cognitâ istâ incomparabili comparatione, dijudica jam, & decerne: debuerisne tu, adeo etiam in donis Dei à Deo tibi donatis, vilis, & imperfectus, & planè nullus, repugnare Deo, pugnare cum Deo, sic infinitis excessibus Perfectiore per omnia? Dijudica, & decerne: fueritnè fas; te, Deo, Cor tuum, Cordi Divino, Voluntatem tuam Voluntati Divinæ, Oculum tuum Oculo Dei, tuas manus, manibus Dei, &c. &c. repugnare: & in offensam injuriamque ipsius operari? Si pulex unus, si canis

D. P. U. R.
ICKI
480
II
V

nis mortuus unus, te contemnere voluisset, quantâ, indignitatem hanc indignatione metireris? & ista tamen habent similitudinem, & partem tecum quia Creaturæ, & Entia, sunt pariter tecum. Tu autem quis, & quid es ad Deum? & quid ac quale, quantumque est à te contemni, & lædi Deum? quâ mensurâ doloris, pudoris, metûs, confusio- nis, luctûs, detestationis, odii, deprecationis, tibi desendum, atque emaculandum, & satisfaciendum est, ut exæques, aliquomodo pænitendo offensum Deum? Atqui ad hoc lachrymarum Oceani nulli, nulla temporum sæcula sufficiunt.

P R A X I S.

Sive Actus Contritionis.

Dignissime Deus, summaum Ens, summum Bonum, & summe summa omnia. Te ego amo, affi- mo, appetio, exalto, super omnia. Dignissimus enim, nobilissimus, amabilissimus es: nec ulla res tibi in pretio conferri, comparari vè potest aut debet.

Feci multa mala, indigna, injuriosa, coram te, & contra te Deum, Dominum, Summum, & omne Bonum meum: quæ tuam Bonitatem, Dignitatem, Charitatem, Voluntatem violarunt, suntque tibi odiosissima: Feci autem ego vilitatum vilissima vilitas, ego malitiarum malitiosissima malitia, ego odiosissima odiositatum odiositas: ego ingratiissima ingrati- tudinum ingrati- tudo: ego indignissimus omnium indignorum indignus: ego omnium damnandorum dam- nandissimus damnandus: ego omnium perditio- rum, perditissimus perditus.

Quapropter, idem ego, nunc omnia, & singula peccata mea cognosco, confiteor, retracto, detestor.

odi, execror, doleo, de illis erubesco, & amarissimo tadio conficior, & tabesco.

Doleo de omnibus tam universim quam sigillatim: propter Bonitatem, Dignitatem, Charitatemque tuam Divinam: propter vilitatem, malitiam, ingratitude meam execrandam, doleo autem totâ Cordis mei amaritudine & pœnitentiâ, & secundum omnem malitiæ peccatorum rationem, quam in se, ac in oculis tuis Divinis includunt: doleo quoque secundum justissimum beneplacitum Sanctissimæ tuæ Voluntatis.

Nolo, sive commissa jam, sive alia quæcunque commissibilia, ulla unquam deinceps committere: quin volo, & propono omnes, quod in me erit, parvas occasiones, illa committendi vitare: tentationibusque ad illa resistere: opem præstante mihi efficaci Misericordiâ & Gratiâ Divinâ.

Volo ista, quæ peccavi, & quorum conscientiam habeo, confiteri plenè, sincerè, humiliter, dolenter, cum pudore, atque retractatione, & emendationis proposito.

Peto per odium quod adversum omne peccatum in tuo Divino corde residet, per omnem Sanctitatem Voluntatis tuæ, per Jesu Christi Redemptoris nostri Sanguinem, Passionem, Mortem: ut mihi omnes iniquitates meas condones: sicut ego, teste, & dante te, propter te, debitoribus meis omnia debita sua condono.

Statuo omnem satisfactionem, sive injungendam, sive injunctam, sive spontaneam, perfectè, cum augmento, quàm primum adimplere: nec non omnibus quibus forte debeo planè satisfacere.

Tu Domine, misericordiarum Pater, & veniæ largitor, miserere mei, & dimitte universa debita mea.

DRUR
ICKI
487
II
V

Per **JESUM** Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat.

EXERCITIUM III.

*De Contritione, ex Dei Hominisque
Comparisonem.*

1. **S**Tatue te Homo qualis revera es, coram Deo, qualis & ille in veritate est. Te talem; qui ex te ipso nihil es; quidquid autem es ex DEO solo es, at coram Deo tali, qui ex seipso est, quidquid est: omne autem Bonum infinitum, & illimitatum est: tibi autem omne id, est & confertur quidquid es, & habes.

2. Postquam te in tuis, Deumque in suis donis circumspexeris, dic cum Beato Job; *Verè scio quòd ita sit: & quòd non justificabitur Homo, comparatus DEO.*

Job. 9. 2.

3. Adhuc ergo, attende ad te ipsum, quis, & qualis es, etiam cum donis Dei quæ tibi largitus est: & talem te cum Deo confer: quod ut melius præstet; duo hæc cognosce: Primum, quòd quidquid à Deo es, & habes; id ita es, & habes, ut sine perenni, & per singula momenta à Deo repetitâ, imò continuatâ collatione, seu conservatione Dei, nihil tui esse, donique Divini, tu tibi conservare possis: sed subductâ istâ conservatione Dei à te, tu statim, omnia, & ipsum te, amissurus, & in nihilum tuum abiturus sis. Itaque nullum momentum durationis tuæ est, nullum esse potest in quo tu, te totum de integro, à Deo non accipias conservante, sive semper, & assiduò te tibi donante. Alterum, quòd quidquid à Deo es, & habes entitatis, & aliorum cum eâ donorum, tu

nec te ipso, nec ullâ parte entitatis tuæ, neque ullâ potentiâ tuâ, ullo modo uti, sive agere aliquid possis, nisi simul Deus tanquam prima causa, & primum agens, tecum agat, tibi cooperetur, tuamque potentiam quamcunque, in actum tecum educat. Ita, non potes manum movere huc aut illuc, nisi tecum moveat manum DEUS: non potes per oculum videre, nisi tibi ad videndum per eum cooperetur Deus: non potes per intellectum aliquid cognoscere, nisi actum cognoscendi per tuum intellectum tecum eliciat Deus: non potes voluntate tuâ liberâ quidquam velle, nisi cum ipsâ tuâ voluntate efficiat liberum velle Deus.

4. Malitias tamen tuas, vel animi, voluntatisque tuæ liberæ, non facit, nec elicit tecum, vel cum tuâ malitiâ Deus: sicut anima in claudicante pede non claudicat: esto pes sine anima non claudicat: & esto Anima ad Motum claudicantis pedis concurrat, & cooperetur. Malitia enim moralis, defectus est non Dei, seu Causæ primæ: sed voluntatis creatæ: sicut claudicatio, defectus est non Animæ, seu loco motivæ potentiæ, sed pedis ambulantis, seu claudicantis. Quomodo autem pes claudus, Animam claudicare nec scientem nec valentem ex se, cogit tamen, & quasi facit claudicare secum: sine quâ facere non potest suum motum claudum: ita & tu homo, Deum, peccati, & malitiæ omnis incapacem ex se, cogis tamen, & facis quasi peccare tecum, sine cujus concursu non potes perficere actum, cui tu pravitatem voluntatis tuæ inseris peccatum. Hinc illa Dei de peccatore querela; *Laborare me fecisti in Isaiæ 43. 24. peccatis tuis: & illa Prophetæ pro Deo; Labora-* Mal. 2. 17.

D. P. U. R.
ICKI
1800
II
V

re fecisti Dominum in sermonibus (blasphemis) vestris.

5. Jam adverte ô homo, si quid sensûs habes, fueritne vel sitne dignum, ut tu, teipsum, & potentias viresque tuas, & actus potentiarum tuarum, à Deo tibi datarum, convertas in offensam, contemptumque Dei: ut cogeres quantum ex te, faceresque Deum tecum, & cum potentiis tuis, cum actibus, & usu potentiarum tuarum, laborare in peccatis tuis, cooperari ad offensas & injurias suas proprias? Et fecisti tamen hoc toties, quoties ad peccata tua, Deum tecum concurrere fecisti: qui quamvis nunquam peccaverit: attamen tu, actum tuum, ad quem cooperari fecisti Deum tecum, malitiâ tuâ infecisti: & concursui Divino quantum ex se purissimo, quantum ex te iniquitatem apposuisti.

6. Et potesne nequiores nequitiam, injuriosamvè magis injuriam, amplius despectivum despectum, quem irroges Deo excogitare, quam hic est, quo Deo tuo abusus es contra ipsum Deum? Et est scelus immane, tuâ quam à Deo accepisti sapientiâ, potentiâ, voluntate, memoriâ, Animâ, abuti ad offensam Dei: abuti autem ipsâ Divinâ Sapientiâ, Potentiâ, Voluntate, Bonitate, contra ipsum Deum; & facere quantum ex te, ut his suis Bonis contra seipsum uteretur Deus; sufficisne cogitare, & capere, & æstimare, quantum hoc sit malitiæ, quantum in Deum injuriæ?

7. Homo: non te pigeat huic collationi inhaerere, huic considerationi, particulatim etiam immorari. Non te pigeat vestigare, quibus hanc malitiæ tuæ absurditatem, in Deumque injuriositatem ac indignitatem lachrymis defleas, doloribus

bus aboleas, detestationibus abstergas, confusio-
nibus, amaritudinibus, fatisfactionibus, depreca-
tionibus, emendationibus, emundationibusque,
& potius ex tuo Corde, magis autem ex Corde Divino ex-
pungas, eradas, & usque ad remissionem, usque
ad gratiam, dilectionem, sanctificationem, filia-
tionemque Dei deducas.

8. Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi *Jer. 2. 21.*
berbam Borith, maculatus es in iniquitate tuâ coram
me, dicit Dominus Deus: Sed enim etsi tu com-
misisti, unde justissime & abjici, & damnari, & in
damnatione usque ad oblivionem æternam sepe-
liri debes, tamen Deus cujus natura Bonitas, non
amisit unde salvare solet: quoniam apud ipsum *Psal. 129. 7.*
miseriordia: & copiosa, atque inexhausta apud
ipsum redemptio: tantummodò revertere, pœni-
tentiam age, & dignos fructûs pœnitentiæ, atque
prima opera fac.

P R A X I S.

Ostende mihi Domine DEUS meus, ostende mihi,
quantas habeo iniquitates & peccata? ostende
mihi, usquequo progressæ sunt & excreverunt inju-
riæ & offensiones adversum te meæ? super capillos
capitis mei, super numerum arenae maris, super pul-
verem terræ, & super guttas aquæ maris multitudo
est malitiæ meæ: agnosco & confiteor. Verumtamen
totum hoc, nihil quasi est, ad hoc: quia quanto Tu
Domine DEUS meus, & fuisti, & es beneficentior in
me: tanto ego vilissimus homuncio, maleficientior &
fui, & sum coram te, adversum te. Dedisti me mi-
hi, ô DEUS, totum quantus quantus sum: & dedi-
sti toties; quoties abs te in Esse toto meo, integrè
conservatus sum: omnibus autem ac singulis mo-
men-

DRUR
ICKI
CISCI
II
V

mentis existentia mea, conservatus, atque denuò, toties,
 denuò mihi donatus sum. Insuper Domine, obligasti Potenti-
 sti & alligasti mihi, Essentiam, Sapientiam, Potenti-
 tiam, Bonitatem, Immensitatem, Charitatem, modo f
 tam tuam: ita ut neque Esse, neque permanere, cum, n
 que vivere, neque agere quidquam per me possim, adeg
 nisi in omni actione & commotione mea, coadiu-
 tricem, cooperatricemque semper haberem presen-
 tissimam Essentiam, Sapientiam, Potentiam omnem-
 que substantiam tuam. Ego autem quid feci? nihi
 probrosius, nihil enormius possum dicere, quam veni?
 cere, peccavi: quid verò feci, quando peccavi? Hanc
 quando peccavi; pugnavit malitia mea, cum Boni-
 tate tua: quidquid effudit Bonitas tua in me, totum
 corripit malitia mea contra te. Ecce enim quia pe-
 cavi; corrupi naturam: corrupi corpus, corrupi
 animam, corrupi omnem corporis partem, omnem
 potentiam animæ: omnemque tam corporis quam
 animæ actionem. Corrupi omnem Creaturam a te
 mihi in usum, ministerium, usque ad destructionem
 ejus indultam. Corrupi præterea, omne Gratia tu
 donum, omne unigeniti tui meritum, corrupi in
 per ipsum etiam tuum Unigenitum, per, & proprio
 peccata mea, à me, peccando Crucifixum. Et quod
 amplius, sceleratiusve à me factum peccando dicam.
 Dicam, & confitebor, non forte sceleratius, sed tamen
 aliud forte frequentatius: & nescio an non magis
 horribilius. Ergo insuper corrupi Te ipsum, ó Deus,
 & corrupi omnem Perfectionem tuam. Quid enim
 in te est Perfectionis, in quod ego non peccaverim.
 Peccavi in Te, peccavi coram te, peccavi contra Te,
 peccavi intrate, peccavi per ipsum te, ac ipso Te.
 Feci Te, quantum ex me fuit, (nam tu ex Te peccati
 capax es,) feci inquam Te peccatorem: & quidem
 toties

toties, quoties *Essentiam, Præsentiam, Sapientiam, Potentiam tuam, ad omnia infanda, & probrosa, tibi inimica & injuriosa, tui contemptiva, ac quovis modo scelerata mea, tanquam causam primam, mecum, mihi que cooperari, meâ malitiosâ voluntate adegi: atque Te, contra Te, mecum in peccatis meis laborare feci. Et quid potui ultra peccati committere quod non commisi? qui usque ad Tui destructionem (quantum ex me) malignando perveni? Unum est tantum Domine, quod in Te malitia mea non vicit: & hæc est ipsa Bonitas, Misericordia, Patientiaque tua: quæ major est quam omnis malitia mea. Hanc nunc & semper amo mi DEUS, hanc super superque amo: hanc à me læsam, contemptamque unquam, nunc doleo: doleo dolore omni, dolore omnium, qui unquam doluerunt, quod te offendissent, dolore Incarnati Verbi JESU Christi, quo peccata nostra doluit, & delevit. Tu Bonitas parce: Cor contritum ne despice, sed illud largire, & usque amplius ac amplius illud auge, conserva, & in mortis meæ instanti consumma: illudque jam nunc pro illo, & demum in illo puncto, perfice & suscipe.*

EXERCITIUM IV.

De Contritione, ex collatione Hominis cum Deo Incarnato.

1. **S**Tatue te ô Homo coram Incarnato pro te DEO; & statue partim talem qualis es ex te: partim qualis es etiam ex Dei beneficio: atque te talem, Deo humanâ naturâ induto, & utriusque prædictæ tuæ conditionis participi, confer.

2. Est

DRUR
ICKI
1801
II
V

2. Est enim factus Creatura qualis es tu: quod factus est, Ens imperfectissimum: & nihil, ac non ens, atque ipsa imperfectio, miseria, & ejusdem perennis fons: & quidem de se oppositum Deo, abjunctumque extrinsecum à Deo.

3. Est autem hoc factus Deus, in suâ propria Personâ, tui causa, gratis, post tot tuâ merita, ex merâ miseratione, & amore tui, & voluntate impensissimâ tibi quàm maximè benefaciendi, ac te ab omnibus, iisque æternis malis eruendi. At verò tu, hæc sciens, credens, confitens, & scilicet amans, ac æstimans de Deo tuo: nihilominus nihil omisisti nequitia, sceleris, injuriæ, contumeliæ, rebellionis, contemptus, impietatisque, quod non Incarnato pro te Deo, sciens, volens, millies milliesque confuderis.

4. Age jam, & conclude, num decuerit te, scientem, credentem, æstimantem de tui erga te Amore Dei, tam nihilominus indignè, improbè, scelestè, cum eodem Deo te gerere, procul gestisti?

5. Jam verò attende: hunc ipsum Incarnatum Deum factum pro te talem: pro tuis (inquam) peccatis, ne tu ea peccares, & ne postquam peccasses, æterna pro illis supplicia subires. Et nunquid abstinuisti à peccando, & non magis ingratisimè scelestus, Deum pro te Incarnatum Crucifixisti peccando! Et fuitne dignum sic cum Incarnato, & Passio, Mortuoque pro te Deo sic agere, sic (inquam) per omnem substantiam, potentiam, capacitatemque tuam, voluntariè, malitiosè peccata in Deum, injurias, contemp-

ptusque, multiplicare? Dijudica: an & quantum erubescere, quantum dolore, & prædolorerubescere, ringi, rugire debeas?

6. Adhuc verò attendere perge: iste Deus pro te Incarnatus, quid pro tuorum peccatorum abolitione, ex puro tui Amore sustinuerit: Tu verò quid eidem rependeris? ille passus est Dolorem, Contemptum, Laborem, Pauperiem, Ingratitudinem, Odia, Persecutionem, Vulnera, Calumnias, Crucem, & Mortem Crucis: non alio motivo, quàm tuæ dilectionis, ac studio æternæ tuæ salutis. Tu autem quid? confer, si potes absque confusione, & lachrymis, absque dolore & stupore, scelestam tuam ingratitude, cum tanto, tam profuso, tam prodigo sui in te, amatore?

7. Adhuc attende ad hunc Deum Incarnatum pro te: quando propter peccata tua, sacrificavit veluti Hostiam holocausti semetipsum sibi ipsi Deo: idque partim in Altari Crucis, sacrificacione cruentâ, probrosâ, doloriferâ, mortiferâ, & sui annihilativâ: partim in alio Altari oblatione incruentâ: Et discerne: quid te oportuerit Deo isti tuo, talia pro te perpeti dignato, rependere ex debito, & merito: tu autem quid defacto rependeris gravissimarum injuriarum: infandorum contemptuum, exosissimarum ingratitude?

8. Attende præterea ô Homo, ad hunc ipsum Deum Incarnatum, quoniam pro te adhuc quotidie in tot per Orbem locis, templis, altaribus, sacrificiis, offertur, & immolatur: cum tot tantisque suis indignitatibus, humiliationibusque: cum tot Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Charitatis

DRUR
ICK
1130
II
V

ritatis suæ prodigiis, & profusionibus: quotidie
 item pro te Sacramentorum præsertim Eucharistia
 stia & Pœnitentiæ thesauros apertos & profusos
 in iisque omnes Meritorum suorum inexhaustas
 divitias exhibet: & hoc ideo tantum, ut peccata
 tua sive impediatur ne committas. Tu verò homo
 quàm te egregie gratum Deo tuo exhibes? Ab
 Hæc inè reddis Deo: ô nequam serve, ô in
 grate homo; Non te pudet omnibus possibilibus
 pudoribus, cum Dei pro te talia dignati subire
 beneficentiis; pugnare tuis perpetuis malefici
 centiis?

P R A X I S.

Hei mihi! quid faciam! Ecce vox sanguinis
 tris mei Abel clamat ad me de terrâ. Ipse
 Sanguis Incarnati, Passi, Immolati, Crucifixi, Mortificati
 tui pro me DEI. Ille mihi clamat: Respice in me
 & vide opus tuum quod operatus es. Hæc fecisti mihi
 bi, mihi Incarnato pro te: inibi Amore tui crucifixi
 pro te. Aspice Caput hoc meum spinis perforatum
 aspice Vultum sputis, alapis, livore deformatum
 aspice Corpus vulnere super vulnus occisum: aspice
 manus, pedesque clavis saucios: aspice totum me
 patibulo Crucis distentum. Talem me tua fecerunt
 peccata: pro quibus quia tu noluisti modico ad penitenti
 tentiam salutemque rubore, erubescere, fecisti me
 vore, vulneribus sanguine meo rubescere. Ergo
 jam nunc erubescere ingratus esse. O Incarnate
 me DEUS: ô Zelosissime, & profusissime Amator
 & Dux, & Pater Animæ, salutisque meæ: in dolo
 & superinduo sicut diploide faciem meam confusio
 peccatorum meorum: Peccavi Domine, scelera multiplicavi
 tiplicavi, abjeci legem tuam, excussi jugum tuum
 oblitus sum, oblitus sum, oblitus sum, oblitus sum, oblitus sum

oblitus sum te Patrem meum : irrisi te Dominum
meum, contempsi te Deum meum: sed Bonitas tua
misit frenum in effrene os meum: & diro spectaculo
amaræ Passionis tuæ effodit immite pectus meum. Sto
itaque ante Te confusus, & pudore plenus: quia In-
carnationis, & Passionis, & Crucis, & Mortis
tuæ humilitas, atque Charitas, pudor meus est. Pu-
det: ab pudet, sceleribus meis deduxisse ad Crucis,
Mortem, Incarnatum pro me DEUM: sed super
omnia pudet perseverare in peccatis: & renovare
iniquitates, & ingratum inveniri tantæ Charitati,
Incarnati DEI. Quis infernus puniat satis Animam
talem: quæ Incarnatum, Passum, Crucifixum, Mor-
tuum, pro suis peccatis expiandis, pro salute suâ
aternâ acquirendâ videns Filium, unigenitum DEI,
audeat tamen, & pergat contemnere pretium san-
guinis, & mortis, pro se impensum ab unigenito Fi-
lio DEI, &c.

EXERCITIUM V.

De Contritione ex Cæli, & Inferni esti-
matione.

1. **S**Tatue te in Cæli, & coram omni cælestium
Hierarchiarum ordine, gloriâ, Societa-
te, Beatitudine: & quamvis neque oculus vidit,
neque auris audivit, nec in Cor hominis ullius
ascendit, illa felicitatis, bonorumque omnium
redundantia, quam præparavit DEUS diligenti-
bus se: tu tamen quantum prævaldes æstima, &
appretia, & appete illam tibi: sciens te quoque
ad possessionem & fruitionem illius à Deo con-
ditum esse.

V. P. Druzb. Op. V.

Iâ

e. Est

Druzb.
Iâ
e. Est
II
V

2. Est Beatitudo cælestis sita in hoc; quod Creatura rationalis, Angelus, sive Homo, Deus sicuti est, clarè videat, possideat, teneat, hereditet, fruatur illo, gaudeat de illo: beatificè & incessabiliter, inexplebiliterque amet illum atque illo Beatus sit in æternum.

3. Hoc illud est gaudium Domini, in quo Deus servos bonos, & fideles, intrare jubet, & facit. Hæc illa multa, copiosa supereffluens magna nimis merces quam semetipsum futurum daturumque Sanctis suis promittit, & exhibet Deus. Huic accedit Visio DEI Hominis JESU Christi: itemque Pretiosissimæ Dei Matris, & omnium Angelorum, Hominumque æterna Societas.

4. Hoc Bonum, quod est Summum omnium Bonorum Bonum: amittit Homo per peccatum: reddens se illius incapax, ac profusè quantum ex se, & ex suâ voluntariâ malitiâ, indignum in æternum.

5. Quomodo enim dignus sit Deo aliquando, qui contempsit Deum? quomodo possidet Deum, qui abjecit Deum? quomodo videat intuitivè Deum, qui totum Intellectum seu Oculum mentis avertit à Deo? quomodo fruatur Deo, & beatitudine, qui elegit, & dilexit maledictionem? quomodo sit cum Christo Salvatore suo, qui illum postposuit diabolo? quomodo perveniat ad Vitam æternam, qui sibi ultrò adscivit Mortem æternam? quomodo Dei Matris, & Sanctorum Societate gaudeat, qui servitutem, & societatem dæmonum omnium illis præposuit?

6. Justè ergo peccator privatur omni Cælesti bono

fi bono
fernali m
vatur cæ
vendidit
nitus De
ctione de
finitâ inj
etiam no
infinita p
7. O
te infinit
cordis da
num, de
præsertim
te subiisse
temptation
& solam
æternitate
8. E
sicut satis
ctione, e
sinequit
9. Vi
peccatori
que æterr
quoque p
divit, nec
paravit ju
bus se.
tio justa,
que illoru
Perfection
voluntati

si bono, qui iniquè sese spontè devovit omni Infernali malo. Juste etiam in Æternum Bonis privatur cælestibus, qui se in æternum objecit, & vendidit malis, & ardoribus sempiternis. Infinitus Deus, tam in se, quàm in omni suâ Perfectione despectus, & læsus, non potuit nisi infinitâ injuriâ, & contumeliâ affici: ac propter ea etiam non potuit, neque potest, peccator nisi infinitâ punitione, & perditione castigari.

7. O peccator! nonnè plusquam dignum est, te infinitâ quadam contritione, pœnitentiâque cordis damnum tuum tam magnum, tam æternum, deflere, dolere, compensandum conari: præsertim ideo: quia istud ipsum damnum sponte subiisse, in maximam vergat injuriam, contemptionemque Dei: quam ipsam etiam unam & solam, si esset talis, nullæ possunt exsolvere æternitates pœnarum inferni.

8. Et amissio quidem Beatitudinis cælestis sicut satis æstimari nequit, ita condignâ satisfactione, extrâ Dei misericordiam, & Merita Christi nequit etiam compensari.

9. Vide jam & expende inferni mala: quæ peccatori ex omni rigore Justitiæ, inferri, infligique æternaliter debent, De illis certè meritò dici quoque potest. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis ascenderunt, quæ præparavit justus Deus odientibus, & contemnentibus se. Nihil enim Infernus est, nisi Vindicta justa, contemptuum, injuriarum, abusuumque illorum omnium, quos Deus in se, & in suis Perfectionibus, atque beneficiis, ac legibus, voluntatibusque, à peccatore toties pertulit,

DRUR
ICKI
1301
II
V



quoties ille peccatore toties pertulit, quoties ille peccavit.

10. Itaque per inferni pœnas, de peccatore ulciscitur se Deus quantus est. Ulciscitur Dignitas Dei quanta est. Sapientia Dei quanta est. Omnipotentia Dei, quanta est. Sanctitas Dei quanta est. Misericordia, Caritas, Bonitas Dei, quanta est. Justitia Dei quanta est. Aeternitas, Immensitasque Dei quanta est, Vita, Veritas, Beatitudoque Dei quanta quanta est. Cum hæc, omniaque alia in Deo infinita, immensa, æterna sint; Deusque ipse sint; Nulla pœnarum magnitudinibus, intensiõibus, extensionibus, multitudinibus, æternitatibusque digne castigari possunt. Maximè cum sint in subiecto (putâ homine, aut Creaturâ) exiguo, misero, vilissimo: tantò enim homo peccans vilior, tantò Dei qui summus est, offensa enormior: tantò etiam castigatio debet juste esse acerbior: ita ut sit exæquatio indignitatis quæ est in peccatore, dignitatis quæ est in Deo: iniuria Deo irrogatâ à peccatore, & supplicii inflicti pœnâ Dei justitiam peccatori. Adeo ut attento rigore justitiæ, tam omnibus simul, quàm singulis paratim peccatis, debiti sint infiniti inferni, finitæque pœnæ numero, intensiõne, extensione, æternitate. Sed quia hoc fieri non potest Creaturâ propter infirmitatem, in Deo propter bonitatem: ideo Deus, peccatori infinitos pœnas, & infinitas inferorum pœnas, aliquot debitas, remittit: & infra condignum, ac debitum, omnem peccatorum castigat.

11. At hoc nihilominus non obstante; *Isaia 33. 14. tabis infelix peccator in igne iræ Dei devoratus*

in *ardoribus*, furoribus ejus *sempiternis*: tam malus eris, quàm bonus est Deus: tam odiet te Deus, quàm sibi amabilis est, & se amat Deus: tamen eris Deo vilis & contemptus, quàm sibi & dignus & pretiosus Deus: tam eris iniquus, impius, reprobus, stultus, exosus, perversus, infelix, maledictus: quàm æquus, justus, rectus, sapiens, amabilis, felix, beatus, benedictus Deus: talem mortem, perditionemque perferes omni malo consummatus, qualem vitam vivit Deus æternam, omni bono, beatitudine completam. Et quis hæc satis expendat?

12. Totus Deus vacabit ad pœnas tuas ô peccator: & vacabit cum totâ capacitatem immensæ Essentiæ, Perfectionisque suæ: & vacabit per omnem æternitatem suam: *usque ad inferni novissima*: usquedum compleat, *inebrietque sagittas furoris justissimi sui in te.* Computa, vires tuas peccator, num poteris sustinere irruentes super te Montes Vindictæ Dei? *Deut. 32. 22. Deut. 32. 42.*

13. Cogita, ô peccator: quid tandem mali tibi erit, quando Deus cum omni sapientiâ, potentia, providentiâ, justitiâ, etiam cum Bonitate, ac Misericordiâ, ac æternitate, immensitateque suâ, ad hoc solum circa te occupabitur, & laborabit, ut puniat te? Ah! quàm Sapientes erunt illæ pœnæ, quàm potentes, quàm veræ, quàm justæ, quàm acutæ, quàm immensæ, quàm æternæ! quas ipsa Sapientia, Omnipotentia, Veritas, Justitia, Bonitas, Immensitas, Æternitas, assignabunt, infligent, exigent, metuentur, servabunt! per quas ipsa se Charitas, ipsa pietas, ipsa clementia, ipsa misericordia, contempta, conculcataque à peccatore, ulciscetur,

Handwritten notes in the right margin:
 DRUR
 CK
 1301
 II
 V



& vindicabit de peccatore: tantum, quantum
 facta est, tantum quantum quævis carum immet
 in suâ Dignitate est.

14. Ex his ô peccator cognosce, conclus
 fueritne, sitne etiam deinceps consultum, & co
 dignum, te peccasse, ut peccare in Deum, & pe
 cato, peccandoque, totum hunc, quantusque
 tus est, tibi lucrari infernum.

P R A X I S.

Domine, Tu es Celi pro justis: Inferni pro impi
 fabricator. Tu à constitutione mundi, bene
 Etis tuis Regnum possidendum assignasti: repro
 autem atque maledictis, operariis iniquitatis, egre
 eternum, cum diabolo, & angelis ejus preparasti.
 Ego vero me, & ab justis, ac benedictis tuis segreg
 vi: & inter maledictorum gregem scelestâ volun
 te meâ connumeravi. Tantum enim in Te totum
 quantusquantus es Deus, peccavi, ut nihil penit
 mihi reliquerim spei, vel auxilii, unde vel ab Infe
 no erui, vel Cælo adseri possim. Irata, est, & inf
 mihi, merito meo pessimo, tota Deitas tua: irata
 Sanctitas, irata Sapientia, irata Omnipotentia, ir
 Bonitas, Charitas Misericordia tua, irata est Je
 stitia, Rectitudo, Veritas, Dignitas, Voluntas tua
 totus Domine Tu Pater, Verbum, Spiritus Sanctus
 iratus es mihi, quia ego totus injuriosus, contem
 ptor, exosus, rebellis, impius tibi. Heu me Dom
 ne quid faciam? Non est auxilium, non est effugium
 mihi in me, nec in ullâ penitus Creaturâ. Ad Te
 lum Domine, respicit spiritus anima meâ, sed
 hinc repellit me conscientia infinitorum peccatorum
 quæ commisi non solum totâ Vitâ meâ, verum etiam
 totâ substantiâ meâ: commisi autem in Te, & sum

in omnem plenitudinem immensarum Perfectionum Substantiæ tuæ. Peccavi tibi ô Trinitas Unitasque DEUS: peccavi tibi ô Charitas, ô Misericordia, ô Pietas: peccavi tibi ô Veritas, ô Sapientia, ô Potentia: peccavi tibi ô Dignitas, ô Gloria, ô Æternitas: peccavi in totum te ô Deus, in te ô Deus meus: in te ô Deus Dominus, Pater, Judex meus. Quo igitur convertam me, sic exclusus à te? Curam nihilominus ad Te: § tibi ecce nunc supplex, gemens, dolens, tremens, adrepo, § advolvor Domine, deprecorque Deitatem tuam: deprecor Bonitatem, deprecor Charitatem, deprecor Misericordiam, deprecor Potentiam, Justitiamque tuam. Deprecor autem Te totus ego, toto me: deprecor toto Corpore, § omnibus partibus ejus, totâ Animâ, § omnibus potentiis ejus: tota persona, § omnibus actionibus, ac passionibus ejus: deprecor § omnibus sensibus meis tam internis quàm externis: deprecor totalatitudine, § capacitate mea: deprecor omnibus atomis meis, § momentis, durationis meæ. Sicut peccavi omnibus his, ita plango, § doleo: § detestor, § retracto, § erubesco, § deprecor etiam omnibus his: totam plenitudinem Divinitatis tuæ. Non deprecor Domine amissionem Cæli, non deprecor supplicium inferni: sed deprecor offensam tuam, nec ardere metuo, sed peccasse doleo: nec me contristat damnum meum, sed afficit, affligitque injuria tua, § iniquitas mea. Caream licet in æternum celo; ardeam licet in igne æterno: levius hoc mihi, quàm unica offensa tua, quàm quævis ira tua Domine. Averte solùm faciem tuam à peccatis meis, § iniquitates meas omnes dele, § redde mihi letitiam salutaris tui: atque ista sufficit consolatio Animæ meæ.

DRUR
 CK
 1301
 II
 V

EXERCITIUM VI.

De quotidiano Anima purgatorio.

1. **S**tatue te coram purissimis, serenissimisque
 Dei oculis, qui non solum ipsi Mundum
Habac. 1. 13. sunt, ne videant malum: verum etiam Mundum
 corde requirunt, ut ab eis Deus videri possit.
Matt. 5. 8. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-*
Sap. 7. 25. *bunt: & quoniam talium est regnum celorum, in*
 quod nihil coinquinatum intrare potest.

2. Quamvis autem dum in hoc mortalis Vita pulvere gradimur, à forde penitus emundati esse perpetim non possumus: plus minus tamen & quandoque ad tempus aliquantum, penitus esse possumus. Quin etiam ex hac Vita ad illam, sine ullâ culpæ & pænæ obligatione, demigrare emundati possumus: dummodò hoc congruis mediis, atque diligentis procurare non negligamus.

Harum diligentiarum una Universalis, alias in se complectens est: habere constitutum Purgatorium Voluntarium: in quod quotidie, semel saltem (alias enim sapiùs licet) descendes: in eoque iniquitates tuas omnes ablues, expurgabis, expiabisque, castigatione tum spiritali & internâ, tum corporali & externâ.

Spirituales, animæque castigationes, seu Disciplinæ esse possunt: partim secundum Viam Purgativam. 1. Agnitio & confessio coram Deo peccatorum suorum. 2. Contritio & Dolor intus pro iisdem. 3. Confusio animæ de negligentia suâ in vivendo, & ejusdem exstimulatio ad vigilantiam super se, & super operandum quam

quàm perfectissimè. 4. Institutio universalis cujusdam luctûs, & deflectionis universarum miseriarum suarum coram Deo: & per universas vires, partes, potentiasque, totius substantiæ suæ. 5. Imitatio & æmulatio eorum qui verè pæniterunt & multum pro suis peccatis: tales fuêre, Adam & Eva, David, Manasses, Magdalena, Petrus, Publicanus, Prodigus filius: super omnes autem Dominus JESUS CHRISTUS, qui pro nostris (nam sua non habuit) peccatis, totâ vitâ, maximè autem in passione pænitentiam egit.

Partim secundum Viam illuminativam, & in specie per viam humiliationis Animæ. 1. Ex miseris Corporis sui, in quo habitat ut in carcere, ut in limo, ut cum inimico pestilentissimo. 2. Ex propriâ suâ vilitate, ineptitudine, infirmitate, mutabilitate, pauperie, cæcitate, difficultate ad bona, præcipiti cursu ad mala. 3. Ex innumerabilibus peccatis actu commissis, & committi facillimis: ex habitibus malis, ac vitiosis, ex passionibus immortificatis, sensibus & moribus in compositis. 4. Ex paucitate, & parvitate Virtutum, meritorum, perfectionumque, tum ex facilitate corrumpendi eas omnes. 5. Ex miserabili conditione illius, eâque variâ: talis est perpetua instantia mortis seu emigrationis ex corpore, in statu, loco, tempore, modo valde incerto: talis etiam conditio iudicii (particularis) in morte subeundi severissimi: talis est expectatio pænæ saltem purgatorii: talis quoque est perpetua salutis incertitudo; perpetuus metus, periculumque à Gratiâ Dei excidendi: talis quoque est incertitudo remissionis peccatorum, incertitudo autem commissionis eorum. Unde

li 5

ferè

DRUR
 CK
 1801
 II
 V

serè semper homo scit se odio dignum & Amorem indignum.

Partim secundum Viam Unitivam, seu Charitatis: ut est: 1. Abstrahere Animam totam à omni Creaturâ, & eam totaliter ad Deum convertere, unire, adglutinare Deo. 2. Inflammare Animam, purâ, ardenti, inextinguibili (pro hâc vitâ) dilectione, ex toto corde, totâ animâ, totis viribus. *Fortis est ut mors dilectio.* Et: *Quis nos separabit à Charitate Dei &c.* 3. Resignare Animam plenè, & absolutè in omnem Dei voluntatem bonam, beneplacentem, perfectam. 4. Reddere & consignare Deo omnia bona sua bona Naturæ, Fortunæ & Gratiæ: Omnia Merita, omnes Virtutes, omnes perfectiones, omnes omnino res, ei adscribendo, pedibus substernendo, & planè dispositioni relinquendo. 5. Emendicare omnia & singula à Deo: & ab ejus Paternâ, suavique Providentiâ expectare: ac omnem cogitatum in ipsum jactare. 6. Abluere animam in balneo, aliquando Judicii, aliquando Misericordiæ Dei, & in Sanguine JESU Christi. Idque potissimum in frequenti, diligentia, perfectoque Sacramentorum, Eucharistiæ, Pœnitentiæque, tum Sanctissimi Sacrificii, atque Indulgentiarum sacrarum diligenti & crebro usu. His diligentis accedere possunt: Eleemosynæ Spirituales variæ, orando pro peccatoribus qui convertantur, ad fidem, ad gratiam, ad fructus pœnitentiæ dignos: pro justis, ut in gratiâ crescant, perseverent infinem: pro defunctis, ut pœnis liberentur.

His accedere potest, imò debet: Dilectio inimicorum, condonatio injuriarum, beneficentia

Cant. 8. 6.
Rom. 8. 35.

tia & oratio pro malefactoribus, & debitoribus nostris: omnisque vindictæ, & invidiæ fuga.

Accedit etiam his diligentis: Neminem judicare, neminem condemnare: præterquam semetipsum: at in omni iudicio proximi, semper sequi mitiorem partem, & omnia benignè interpretari, Divinoque iudicio cuncta relinquere. Scriptum est enim. *Nolite iudicare, non iudicabimini: In quacunque mensuram metiemini, eadem remetientur vobis.* *Luc. 6. 37.* *Marc. 4. 24.*

Corporales peccatorum expiationes: vulgò sunt notæ: quas partitur Ecclesia, in Orationes, Jejunia, Eleemosynas: comprehendendo sub his, omnia genera afflicti corporis in Ecclesiâ Christi, recepta & laudata: & Sanctis usurpata: quibus discretionem adjungi oportet, ne fortè quis Zelum Dei habeat, non secundum scientiam: ac ne persequendo in se hostem, interficiat Civem: quocirca talia secure suscipiuntur conscio Animæ moderatore.

Juxta prædicta; quotidianum Animæ & conscientiæ purgatorium; cordisque lavacrum, esto in usu quotidiano: adjuncto semper, sanguinis, mortisque ac meritorum JESU Christi Balneo: Indulgentiarum thesauro: & Pretiosissimæ Dei Matris, Sanctorumque communi, ac intercessionum Patrocinio.

P R A X I S.

Et simul Contritionis Actus.

*S*anctissima Trinitas, DEUS meus. Detestor ex purissimo Amore tui, estimationeque inestimabilis Digni-

Dignitatis tuæ: omnia, & singula peccata me
 imperfectionesque quascunque Tu vides in Anima
 mea. Doleo quod per hæc omnia tibi benignissimè
 Domino, dilectissimo Patri, dignissimo Deo dissi-
 cuerim. Confundor de mea spiritali nuditate atque
 pauperie coram Te: præsertim cum tanta Gratia tua
 nutricis meæ præsidia, ad vincendam ignaviam meam
 ad proficiendum in Spiritu, & lege tua, semper
 manum habuerim. Erubesco coram Cælo, & terra
 quòd tam infidelis tibi DEO meo, fuerim: quòd
 JESU Christo Redemptori meo tam ingratus, Spiritu
 tui Sancto tam rebelis, Sanctis omnibus tam dispi-
 cendus, Animabus Purgatorii tam sterilis, Proximis
 viventibus tam inutilis, imò & ob mala exempla
 tam scandalosus. Peto omnium, & singulorum,
 Te o Sanctissima Trinitatis DEUS meus, veniam, &
 condonationem: propter JESU Christi sanguinem,
 propter Pret. Parentis merita, propter Sanctorum
 omnium intercessionem. Peto præterea Gratiam tuam
 efficacem, ad me deinceps emendandum, ad omnes
 imperfectiones evitandum, ad omnes perfectiones in
 operibus vitæ meæ adhibendum. Propono, te Deo meo
 teste, dante firmissimè, non tantum emendationem,
 emundationem, sed etiam omnis tibi placitæ consum-
 mationis, sanctitatisque consecrationem: ad gustum
 quàm plenissimum, tuæ Sanctissimæ, atque
 Dignissimæ Volun-
 tatis.

EXERCITIUM VII.

De Contritione, ex DEI Patris, Benefactoris, Domini, Judicisque consideratione.

1. **S**Tatue te coram DEO, ut Patre tuo, filium! ut coram Benefactore ingratum, ut coram Domino malum servum, ut coram Judice supremo, ac justissimo, maximè reum. Ex his habebis quod erubescas, & quod timeas, ac demum & quod doleas.

2. Audi Bernardum & sequere, ista expendentem hoc modo. Cogita Deum factorem, cogita benefactorem, cogita Patrem, cogita Dominum. Ad omnia reus es, plange per singula. Ad primum & ultimum respondeat timor tuus: ad duo media, pudor.

3. Pater sanè non metuitur, cùm Pater sit. Patris enim est misereri & parcere, & si percutit, Virgâ, non baculo percutit: & cum percuterit, sanat. Paterna vox est; *Ego percutiam, & Deut. 32. 39.* ego sanabo. Non est proinde quod à Patre formides, qui etsi quandoque ferit ut emendet, nunquam tamen ut vindicet:

4. At verò cogitantem quòd Patrem offenderim, est certè quod pudeat, etsi quod terreat. *Voluntarie enim genuit me Verbo veritatis. Deinde etiam non pepercit Unigenito, pro sic genito. Ita ipse quidem exhibuit se patrem mihi: sed non ego vicissim me illi filium. Jacob. 1. 12.*

5. Quâ nam fronte attollo jam oculos, ad vultum Patris tam boni tam malus filius? pudet tanto Patri vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei: Operiat confusio faciem meam,

meam, vultum meum pudor suffundat, occupetque caligo. Prò pudor! quem fructum habui, in quibus nunc erubesco? Si in carne seminavi; de carne non metam nisi corruptionem, si in Mundo; & hic transit, & concupiscentia ejus. Quid? Caduca, vana, & prope nulla, quorum finis mors est, infelix & insanus præferre non erubui, æterni Patris amori, & honori.

Malac. 1. 6. Confundor audire, si ego Pater: ubi est Honor meus.

6. Sed, etsi Pater non esset, obrueret me Beneficiis: instaurat adversum me testes: (ut alia innumera taceam;) hujus Corporis victum: & usum Temporis hujus. Et super omnia: Sanguinem Dilecti Filii clamantem de terrâ. Pudet ingratitude: quanquam ad confusionis cumulum, arguit etiam reddidisse mala pro bonis: & odium pro Dilectione.

Jac. 1. 5.

7. Minimè quidem mihi à Benefactore, sicut nec à Patre timendum: verus quippe benefactor est, dans affluentur, & non improperans: & beneficia sua mihi dedit, non vendidit: denique sine pœnitentiâ sunt dona ejus. At quanto de illo benigniùs, tantò de me indigniùs sentire cogar.

Psal. 115. 12. quid vel nunc retribuam Domino, pro omnibus que retribuit mihi?

8. Erubescere ergo nihilominus: & dole Anima mea: quoniam etsi illum non repetere, & non improperare decet; Nos tamen omnino decet ingratos, & immemores exstitisse. Heu!

9. Quod si segnior fortè suas partes minus exequitur Pudor: Timore sanè excitetur in adjutorium: excitetur, ut excitet. Sepone parum

pia

pia vocabula Benefactoris & Patris : atque ad au-
stiora converte te. Nempe qui legitur *Pater*
Misericordiarum, & *Deus totius consolationis*; le-
gitur etiam *Deus*, ultionum *Dominus* : legitur
DEUS Judex, *justus*, & *fortis* : legitur *terribilis*
in consiliis super filios hominum : legitur *DEUS Ze-*
lans. Quod *Frater*, quod *Beneficus* est, tibi
est: quòd *Dominus*, & *Creator*, & *Judex*; sibi.
Qui ergo quod tuum est, tibi defendit ac servat:
putas & pro se aliquando non zelabit? putas sui
non requiret Principatús honorem? Requiret
à redempto servitium: honorem, & gloriam ab
eo, quem plasmavit. Esto dissimulet *Pater*,
ignoscat *Beneficus*: sed non *Creator*, non *Do-*
minus, & *Judex*: & qui parcat filio, non par-
cet figmento, non parcat servo nequam.

10. Pensa: cujus sit formidinis & horroris,
tuum, & omnium contempsisse Factorem: of-
fendisse *Dominum* *Majestatis*? *Majestatis* est ti-
meri: *Domini* est timeri, & maximè hujus *Ma-*
jestatis, hujusque *Domini*. Nam si reum *Re-*
giæ *Majestatis* quamvis humanæ, humanis legi-
bus, plecti capite sancitum est: quis finis con-
temnentium *Divinam* *Omnipotentiam* erit? tan-
git montes & fumigant: & tam tremendam *ma-*
jestatem audet irritare vilis vermiculis, uno levi
flatu mox dispergendus, nec recolligendus?

11. Ille, ille timendus est: qui postquam oc-
ciderit *Corpus*, *habet potestatem* & *Animam* mittere
in gehennam. Paveo *gehennam*: paveo *Judicis*
vultum: ipsis quoque tremendum *Angelicis* po-
testatibus. Contremisco ab irâ potentis, à fa-
cie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à con-
flagratione Elementorum, à tempestate validâ,
à voce

1. Cor. I. 3.
Psal. 93. 1.
Psal. 7. 12.
Psal. 65. 5.
Exod. 20. 5.

Psal. 102. 32.

Matt. 10. 28.

à voce Archangeli, à verbo aspero. Contro
 misco à dentibus bestiae infernalis, à ventre in
 feri, à rugientibus præparatis ad escam. Hor
 reo vermem rodentem, & ignem torrentem, fu
 mum, & vaporem, & sulphur, & spiritum pro
 cellarum: horteo reo tenebras exteriores.

Jerem. 9.1.

12. *Quis tabit capiti meo aquam, & oculis
 meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus
 fletum, & stridorem dentium: & manuum pe
 dumque dura vincula, & pondus Catenarum
 prementium, stringentium, urentium, nec ta
 men consumentium? Heu me Mater mea, ut
 quid me genuisti filium doloris, filium amar
 tudinis, indignationis, & plorationis æternæ.
 Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus
 natus in combustionem, & cibum ignis. Hæc
 Ber. 16. serm. in Cant.*

P R A X I S.

Est in ipsis B. Bernardi verbis: vel
 sit hæc alia.

Sanctissima Trinitas, unus DEUS: Tibi, uni, soli
 semper, à Te, à me, ab omnibus & singulis Crea
 turis, summa laus, exaltatio, Gloria: omnibus
 autem Creaturis, à te, tua benedictio, gratia, indul
 gentia, miseratio, venia. Mibi verò à te, & simul
 tecum ab omni Creaturâ, omnis abjectio, detestatio,
 ira, furor, damnatio, reprobatio, perditio, & in per
 ditione derelictio, oblivio, & sepultura æterna.

Quia enim ego Tibi soli peccavi nimis in vitâ mea,
 & malum supra omnes coram te feci: idcirco nulla
 mihi à te debetur Venia, gratia, miseratio, benedictio,
 sed potius omnis tuus furor, ira odium, execratio,
 dam-

damnatio, & perditio. Idcirco infernus domus mea est, possessio mea, hereditas mea est, & ego inferni incolam, possessor, & heres sum.

Idcirco, etiam omnes damnatos, reprobos, praescitosque ex Inferno facessere, ac mihi locum meum sedere jubeo: qui praeme omnes illi innoxii sunt: & praem omnibus illis, mihi uni, & soli infernus debetur: & ego unus, solusque, iniquitatibus meis infernum impleo: unus ac solus inferni penas penis meis exaurio: & adhuc inferno dignus sum alio, atque alio.

Idcirco, etiam infra omnes luciferos, asmodeos, beelzebubosque infra Cainos, Judas, Annas, Caiphas, Pilatosque descendo, ac me demergo. Omnibus enim superbis, ego magis superbus: omnibus avaris, ego magis avarus: omnibus intemperantibus, iracundis, ego magis intemperans, fœdus, iracundus, invidis, ego magis invidens, & in obsequio Divino tepidis, ego tepidus, & negligens magis: omnibus ingratis, abjectis, inutilibus, malignis, ego magis ingratus, abjectus, inutilis, malitiosus. Quanto enim in me uno & solo praem omnibus abundavit gratia, & miseratio, ac Divinae pietatis vigilantia ac beneficentia: tanto in me uno, & solo, praem omnibus excessit in Deum ingratitude, malitia, contemptio, & effrenis rebellio.

At enim quamvis ego infelix commisi multa valde peccata: unde me tu justissime DEUS damnare, & abjicere in aeternum, non solum potes, sed etiam cogente justitia debes: quia tamen tu, misericordiarum Pater, non amisisti, unde misericordissime salvare, & potes, & soles: propterea Ego de profundissimis abyssis miseriarum mearum clamo ad Te: Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam: & se-

514. Exerc. VII. De Contritione ex Dei Patris &c.
cundum multitudinem miserationum tuarum dele in-
quitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea
& à peccato meo munda me: quoniam iniquitates
meas cognosco, atque confiteor. Tibi soli peccavi
& malum coram te feci.

Istud in me peccatisque meis displicet quàm maxi-
mè: quia Tibi soli peccavi, & malum coram te Deo
meo feci. Vivere tibi soli debueram: & ecce tibi soli
peccavi. Amare, & estimare super omnia te solum de-
bueram: at ego tibi soli peccavi, tuæ soli Sanctissimæ
Voluntati obedire debebam: at ego tibi soli peccavi.

Abscondebam, celabam, negabam, dissimulabam,
justificabam peccata mea: sed malum coram te feci: in
manibus tuis positus eram, & potentia tuæ illigatus
justitiæque tuæ mancipatus, & tamen malum coram
te feci.

Tu solus cùm esses DEUS meus: ego tibi soli, crea-
tura tua, servus tuus, mancipium tuum, redemptor
tuus, peccavi, & malum coram te, contra te, ma-
joremque tuam feci.

De hoc omni tibi noto, & exoso malo meo, De-
mine: toto me doleo, propter Bonitatem, Charita-
tatem, Dignitatem tuam: doleo, & detestor, &
execror, & odi, & erubesco, & tædio afficio, ejus
omnia peccata mea: & omnem voluntatem meam
avello ab eis. Emundo illa in balneo sanguinis & ma-
rinatorum JESU Christi: in balneo doloris & amoris
mei erga Te: in balneo justitiæ & miserationis tuæ.
In quâ etiam emendo, & expio omne debitum meum
tam culpæ, quàm pænæ: & perficio, atque complendo
omnem imperfectissimam perfectionem meam:

ad plenum, & omnem gustum tuum,
Amen.

EXER